JOHANNIS BURTON

AD

AMICUM EPISTOLA:

SIVE

COMMENTARIOLUS

THOMÆ SECKER

ARCHIEP. CANTUAR.

MEMORIÆ SACER.

OXONII,
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.
MDCCLXVIII.

Imprimatur :

N. WETHERELL,

Vice-Can. OXON.

Nov. 25. 1768.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Johannis Burton ad Amicum Epiſtola: Sive Commentariolus THOMÆ SECKER Archiep. Cantuar. Memoriæ ſacer.

DESINE jam ultra flagitationibus tuis ſolitos ingenii luxuriantis luſus provocare, aut alia neſcio quæ Ruſticantis μελετηματα, inania illa otii ignobilis oblectamenta, expectare. Eheu! iſthæc profecto omnia animo penitus excuſſit luctuoſus Archiepiſcopi Cantuarienſis interitus; omneſque adeo cogitationes in uno hoc obtutu defixas occupavit. Permulta illico mentem percuſſerunt meam; --- mortalitatis veluti propius admotæ ſenſus acerbior; ---Eccleſiæ laborantis orbitas; --- literatorum, clientum, et bonorum omnium comploratio. Subit itidem conſuetudinis, quæ mihi cum

a Nat. in vico Sibthorpe prope Newark in Com. Nottingh. 1693. Ob. Lambethæ Aug. 3. 1768.

illo interceſſit, recordatio; virtutumque, quarum etiam ad rempublicam fructus redundavit, deſiderium inexplebile. Et quidem ſentio mihi moleſtam quandam ſolicitudinem incuti ſive præterita recolenti, ſive etiam proſpicienti futura. Verum ex ipſa doloris cauſa juſtiſſima aliquam etiam ſolatii materiem elici poſſe video, dum res ab Illo geſtæ animo obverſantur; præclaræ illæ et magnificæ, quarum beneficia non ad præſens modo ſæculum pertingere, ſed etiam ad poſteros derivanda eſſe, cenſeo.

Quidni itaque ego te ad honores ſupremos hoſce, ad Parentalia perſolvenda vocem, ad hæc ſive luctus publici, ſive gratulationis, officia, ad ſupplicationes, et, quales ad Martyrum primævorum ſepulchra celebrari ſolebant, pietatis Chriſtianæ triumphos?

Te præcipue in curarum conſortium voco, quippe mecum una eodem pariter uſum et Amico et Patrono.

Rogas interim quæ mea ſint ſuper hac re μελετηματα? En illa tibi αυτοχεδιασικα, potius quam elaborata, et pro pietatis privatæ officio, potius quam pro materiæ dignitate, expreſſa.

Me quidem juvat in præterita ætatis ſpatia redire, et amicitiæ, cum illo jam ultra quadraginta quatuor retro annos initæ, memoriam recordari ultimam: quo tempore in Academiam

miam Oxonienſem adſcriptus, a rei Medicæ ſtudiis, quibus apud Leidenſes [a] inclaruerat, ad Theologica ſe tranſtulit, inde uſque repetens video illum inter primos ſui ordinis atque loci, inter Dunelmenſes ſuos Theologum ingenii et eruditionis fama, et gratia inſuper et honoribus, florentem. [b] ---- Eo quippe animo ad rem literariam acceſſit, ut Encyclopædiam univerſam amplecti vellet, φιλομαθης ων αμα και πολυμαθης, ingenio verſatili ita inſtructus, ut, in quamcunque partem ſe converteret, illam omnem ſatis exploratam haberet et perſpectam. Inerat certe in illo magna vis animi, incredibilis patientia, et indefeſſa ſedulitas; in veritate inveſtiganda ſingularis quædam αγχινοια, in ſententiis expendendis acumen vere criticum; in iiſdem caſtigandis mira animi continentia et moderatio, qualis hominem liberalem et vere Chriſtianum decebat; in controverſiis ſine offenſione partium arbiter, potius quam litigator, non tam ad doctorum hominum judicia, quam ad Sacræ Scripturæ auctoritatem, provocabat;

a Theſes de Medicina Statica publicavit Lugd. Bat. Anno 1721. Eodem Anno in Coll. Exon. admiſſ. et propter merita a Cancellario commendatus, A. B. creatus. Febr. 23. 172$\frac{3}{4}$ creatus eſt A. M. et Anno 1733. LL. D.

b Gul. Talbot Epiſcopo Dunelm. a Sacris domeſticis. Eccleſ. Cathed. Præbendar. &c.

in

in his explicandis applicandiſque præcipue verſabatur; denique quicquid ſcientiarum animo conceperat, quod certe latiſſime patuit, id omne in partes ſuas Theologiæ famulans adhibebat.

In literaturæ vero Hebraicæ ſtudiis ut plurimum elaborabat: in hac materie recondita et difficili operam navabat nec inſtrenuam nec infructuoſam. Quæcunque adeo ad textum S. S. originalem elucidandum afferri poterant, ſubſidia ſedulo conquiſivit: Criticorum hominum varias interpretationes, animadverſiones, et quicquid hac in parte uſui foret, delectu habito congeſſit, recenſuit, caſtigavit, et επικρισιν inſuper ſuam adjecit. Proh! quantum eruditionis hujuſce reconditæ theſaurum ipſis Bibliorum πολυγλωττων marginibus, quæ illi fere ſemper in manu erant, confertim inſcriptum vidimus! Illud denique induſtria ſua effecit, ut in hoc laudis genere inter Criticorum principes accenſeretur; neque prius quidquam potiuſve haberent operum Hebraicorum Editores,[a] quam ut Illo uterentur auctore et adjutore, qui opes ſuas literarias perinde ac nummarias in reipublicæ uſus libenter impenderet: Notitias profecto hujuſmodi nemo habuit magis in promptu, aut magis expeditas.

a Vide cl. Jac. Merrick Annot. ad Pſalm.

Hæc

Hæc in genere de facultate Theologica dicta ſunto. Non eſt itaque quod miretur quiſpiam virum, tali indole atque ingenio præditum, in reipublicæ lucem et celebritatem fuiſſe evocatum [a], omnium votis deſignatum, utpote digniſſimum, qui Rectoriam Sancti Jacobi Weſtmonaſter.[b] provinciam, dignitatis quadam ſpecie eminentem, ſed cum invidia et difficultate conjunctam, adminiſtraret; illum præcipue virum nominis honeſti, ſcientia Theologica inſtructiſſimum, rerum uſu exercitatum; qui Parœcianorum negotiis non intereſſet modo, ſed etiam præeſſet, ſingula dirigeret conſilio, moderaretur auctoritate. Quæ porro ibi in longo adminiſtrationum decurſu præclara præſtiterit non opus recenſere; quippe notiora, quam quæ noſtra commemoratione egeant, majora vero, quam quæ præconio noſtro ornari poſſint. Adhuc profecto manent laudum tantarum veſtigia hominum judiciis atque ſenſibus impreſſa.

Adeſte animis quotquot hac in urbe regia Parœciarum curam geritis: admiremini, Londinenſes, ſingulare hoc Diligentiæ, Moderationis, Solertiæ, et Sanctitatis exemplar! exemplar, in officiis Sacerdotalibus obeundis, ſi quod aliud, hiſce certe temporibus con-

a Jul. 1732. Regiæ Majeſtati a Sacris.
b 1733.

ſummatiſſimum

ſummatiſſimum, quale vobis aut documento fuerit aut opprobrio!

Meminiſtin' Comitia Oxonienſia publice celebrata A.D. 1733? Ecquid ibi Noſter ille, noviſſime LL. D. creatus? Imo vero id ipſum præſtitit, quod Academiæ fuit honori et Sibi. Audivimus illum inter Doctores diſputantem [a] tam prompte et ſubtiliter, ut ex hac levi præluſione ſeu velitatione intelligeremus, quid in certamine ſtatario efficere poſſet. Audivimus in frequentiſſimo Academicorum conventu ita concionantem [b], ut Eloquentia in Roſtris nunquam magis triumphare videretur, quam in Academicæ diſciplinæ laudibus prædicandis.

De facultate vero illius Oratoria quid ego porro dicam? Singulari ſane illa, et ad populi cordatioris captum, potius quam Criticorum hominum aures faſtidioſas, accommodata! Utut vero hæc ſint, eſt profecto quod et Reipublicæ et Eccleſiæ gratulemur, hunc oratorem noſtrum et fama et gratia tantum valuiſſe, ut in eo ipſo, quo prodeſſe unice ſtuduit, ſuis etiam placuerit.

Eccum vero! --- Quid meditatur ille ordinum omnium ad Eccleſiam, veluti ad Theatrum, concurſus? Quid illa ſtipatiſſima fre-

a In Theatro Comitiorum die Lunæ.
b Die Dominica in Templo B. Mar.

quentia,

quentia, et cum æmulatione quadam ſubſelliorum præoccupatio? Quid illa omnium arrecta expectatio? Scilicet Orator noſter ille in roſtro prodit,

Nil mortale ſonans, opera vehemente miniſter,
Et vigiles oculos et corda ſequacia raptans.

Quanquam quid iſthoc erat eloquentiæ admirabilis, quod a pleriſque tam magnifice prædicatum accepimus? Non ſane in ſententiis δεινοτης Demoſthenica, non dictionis ardor ſplendorque, non ingenii exultantis luſus, non Rhetoricorum pigmenta, et, quæ aures delinire ſolet, periodi decurrentis clauſula numeroſa et canora; verum erat in ſententiis ακριβολογια plane Ariſtotelica, ſtilique penitus caſtigata luxuries: nihil operoſe elaboratum, nihil temere effuſum: pro re nata ſine fuco ſine ornatu dictionis caſta ſimplicitas: quicquid illud erat --- verbis inerat το πιθανον, et in popularium aures animoſque influebat mitis oratio: geſtus decori gratia, et in vultu placida ſeveritas, ſingula commendavit; imo et dictis quaſi fidem imperavit ipſa dicentis auctoritas. Quod erat Philoſophi et Theologi, ſatis habuit diſtincte, graviter, dicere; quod vero erat Rhetorum, ornate dicere, iſthoc Ille non tam

neſcivit, quam ultro neglexit. Quid multis? Orator hic noſter ſine dicendi artificio veram eloquentiæ laudem conſecutus videbatur.

Magna ſane hæc ſunt; ſed aliud quiddam ſupereſt commemorandum, mea ſententia laude dignum majori. Quale vero id rogas? Prælectionum Catecheticarum Syſtema--"Hei vero!" (videor enim audire aliquem de Criticorum grege forte exclamantem) "Quod hoc rei eſt? Siccine inter diſcipulorum cathedras ad elementa prima adultos revocas? Nullus certe hac in parte Oratori locus, nec ulla in re tam humili doctis auribus digna afferri poſſit oratio." Itane tandem? Imo vero faſtidioſus ille, quod a Paulo ſimili in cauſa Corinthiis, id ipſum ſibi reſponſum putet. Ex eo hominis Chriſtiani tum docentis tum audientis officia intelligat. Neque tam aurium lenocinia quærat λογοις πιθοις σοφιας ανθρωπινης, quam documenta illa τα δυναμενα σοφισαι εις σωτηριαν. Quanquam quid id eſt, quod diſciplinam hanc Catecheticam quiſpiam ut puerilem et ineptam contemnat? Videat modo Catechiſmum hunc noſtrum: in compendiario illo Syſtemate quid aliud videt, quam ipſam Religionis Chriſtianæ medullam? Materies profecto præclarior nulla reperitur, in qua Theologi ingenium atque induſtria exercitari poſſit; hæc curarum prima

eadem

eadem atque ultima; in hac potiſſimum noſter ille verſabatur magna cum laude ſua, ſuorumque fructu. Etenim Encyclopædiam Chriſtianam univerſam intellectu penitus conceperat. Erat porro tum animi facultate, tum exercitatione diuturna, apprime διδακτικος: et quidem docentis indoli atque ingenio congruebat ipſa materiæ ratio, quæ deſiderabat non tam Oratoris facundiam, quam docti Interpretis fidem; et materiem viciſſim commendavit Catechiſtæ noſtri Oratio ſimplex, perſpicua, nervoſa, et audientium captui accommodata. Hac in parte omnes ingenii nervos intendiſſe videbatur; neque ſane fruſtra. Prælectionibus hiſce Catecheticis frequens auditor, et quidem doctus, interfuit; atque ita, ut etiam inde doctior diſcederet. Dictio temperata et flexanima in hominum ſenſus et judicia mire influebat; ita ut exercitationes haſce Catecheticas etiam gratia popularis comitaretur. Qui Reipublicæ et Religionis Chriſtianæ incremento bene cupio, idem cupio ut Catechetica hæc diſciplina neque gratia neque honore careat, ſed frequentior uſque atque acceptior in Eccleſia celebretur: utque adeo Sacerdos quilibet Parœcialis non ſatis habeat in roſtris triumphare Concionator celeberrimus, ſed gaudeat potius hoc Catechiſtæ officio ſuo, ſtudioſus ſacræ paginæ In-

 terpres,

terpres, ſive dogmata proponens explicanſque, ſive pietatis præcepta animis inſinuans vel inculcans, eadem opera lac infantibus, ſimul et adultis cibos firmiores, adminiſtrans. Hæc vera erit Theologi Chriſtiani laus, populari omni plauſu longe præſtantior. Quantum hac in parte effici potuerit, noſter ille exemplo ſuo commonſtravit, quod ipſum et poſteri aliquando agnoſcent, quum Syſtema hoc Catecheticum, quod operum Theologicorum palmarium eſſe deputo, publicos in uſus prodierit. --- Hæc de ipſius Oratoria et Theologica facultate breviter dicta ſunto.

Age vero, eundem jam Epiſcopum vide, virtutumque laudem ſimul cum honoribus una ſuccreſcentem. Briſtolienſes [a] ſicco pede prætereo, ad Oxonienſes [b] noſtros properans. Horum adeo gratulationes ſimul et deſideria mecum una recognoſce. --- Et profecto jure fortunas noſtras laudavimus, illum Præſulem ſortiti, quem Dioceſes cæteræ haud immerito nobis inviderent; in republica literaria, perinde ac in Eccleſia, principem virum; qui nobis non modo præceptionum ſaluberrimarum, ſed etiam exempli honeſtiſſimi, lumen prætulit, ipſe Sacerdos Parœcialis. Nemo certe Cleri-

a Jan. 19. 173½. Epiſc. Briſtol. conſtitut.

b Tranſlat. ad Ep. Oxon. Maii 14. 1737.

calem,

calem, ut ita dicam, Encyclopædiam universam penitius animo perceptam habuit, nemo plenius et melius descripsit, aut audientium mentibus παθητικωτερως impressam reliquit. Testor ad Clerum illas Conciones Monitorias Synodales, quas Trieteride qualibet e cathedra pronuntiatas audivimus. Ex una, quæ in lucem prodiit, disce omnes. Et Reipublicæ Ecclesiasticæ causa maxime vellem, ut Præceptionum Pastoralium Systema hoc perfectissimum in omnium oculos et corda veniat; non Oxonienſium modo, sed Cleri Anglicani universi, usibus inserviens; utpote ωφελιμον προς διδασκαλιαν, προς ελεγχον, προς επανορθωσιν, προς παιδειαν την εν δικαιοσυνη· ινα αρτιος η ὁ του Θεου ανθρωπος, προς παν εργον αγαθον εξηρτισμενος.

Et profecto omni in parte αξιωμα Episcopale moribus, perinde ac eruditione, illustravit; in hac provincia administranda per annos plusquam viginti, Sanctitatis, Diligentiæ, Moderationis, Benignitatis, tanta cum laude versabatur, ut bonorum omnium votis et expectationi responderit, imo et Academicorum των χαριεστερων offensionibus sive fastidiis satisfecerit, et benefaciendo gratiam popularem Sibi et reverentiam conciliaverit. Ego quidem libenter in illa tempora redeo, quæ pristinæ necessitudinis tam publicæ quam privatæ memoriam revocant jucundissimam, simulque admi-

administrationum Episcopalium, quarum beneficia per Dioceſin longe lateque diſſeminata vidimus, redintegrant notitiam.

Cleri interim Oxonienſis quænam de Illo fuerint judicia, en teſtimonium honorificum! officioſum illud, quo de Provincia decedentem proſequebatur, commune deſiderium.

Regis optimi de eo judicium quale fuerit, res ipſa declaravit. Illum adeo præ cæteris eminentem in Hierarchiæ ſede altiſſima collocatum plaudentes venerabamur; hominem artibus imperatoriis inſtructiſſimum: qui in hiſce caſtris noſtris per tot annos ſtrenue militaverat, et diſciplinam omnem Eccleſiaſticam tanta cum laude adminiſtraverat, facile intelliges eundem omnium votis fuiſſe deſignatum, utpote maxime idoneum, qui Provinciæ Cantuarienſis[a] Præfecturam Metropoliticam adminiſtraret.

Ecqua vero in parte ſpem noſtram fefellit? imo vero exſuperavit; ſine offenſione partium, ſine invidia, ſine ambitione, Eccleſiæ principatum adeptus, ſine arrogantia cum dignitate vera ſuſtinuit; magni vir animi, et vere ἀρχικὸς, qui Politiam Eccleſiaſticam animo complectebatur, conſilio dirigebat, auctoritate tuebatur, exemplo ornabat; in negotiis impiger et

a Tranſlat. ad Archiep. Cantuar. April. 1758.

inde-

indefeſſus, nihil a ſe alienum putabat quod ad Clericorum jura, mores, famamque pertinebat; auctoritate ita uſus, ut nihil pro libidine aut inſolentia imperii affectaret, ſed omnia ad οἰκοδομὴν communeſque Eccleſiæ utilitates referret; --- ita fortunis uſus, ut quicquid ἐκ περισσοῦ accreverat, id omne non ad luxuriem aut ſplendorem, ſed ad neceſſitates pauperum ſublevandas et in commoda publica, erogaret. Lucelli perinde ac gloriolæ contemptor, bono communi ſtudebat unice. --- Itaque Hetæriis quibuſcunque nominis honeſti, iis præcipue, quæ ad Religionem Chriſtianam ſive apud exteros propagandam ſive domi promovendam, aut rempublicam Clericalem ſpectabant, adfuit, præfuit; in primis Fautor et Patronus exemplo ſimul et eloquentia commendavit, munificentia locupletavit: nulla in re, in qua Reipublicæ prodeſſe potuit, laboris parcus aut pecuniæ, bene præcavit ne divitiæ ſibi oneri eſſent aut opprobrio. Sed interim magnificentiam hanc præclaram prudentiæ et moderationis laus comitabatur; cum ab eo nihil temere aut ad oſtentationem ſolam eſſet inſtitutum; tali Patrono placuiſſe non exigua erat meritorum commendatio. Judicii teſtimonium munificentiæ pretium arrogavit. Vide in collato beneficio

quanta

quanta sit gloria --- cum in accepto tanta fuerit laus.

Quæ autem hac in parte præclara fecerit, singula recensere perlongum sane foret, sed nec ingratum: at, cum meminerim me non Historiam sed Epistolam scribere, inhibeo manum; satis habens ad capita nonnulla in genere, quorum explicatio ususque ad posteros pertinebit, quasi ex intervallo digitos intendisse: --- mecum itaque per hæc summa laudum compendia ad spatia ampliora progredere.

Quid itaque prius potiusve commemorandum habeo, quam incredibilem illam in vitæ totius cursu constantiam et æquabilitatem? Si cui uspiam homini ad amussim præscriptam bene vivendi rationes omnes fuerint compositæ, hæc profecto Illi præ cæteris debetur laus. Etenim de die in diem idem usque morum tenor colorque, idem curarum et studiorum ordo, nulla consiliorum discrepantia aut inconstantia; sed omnia Illi methodo certa erant ordinata, et ad finem certum designata: itaque Illi in negotiis quibuscunque obeundis mira facilitas, et sine tumultu et trepidatione strenua expeditio.

Superioribus sæculis majores nostri ἀξιομνημονεύτους quælibet, quæ quoque die aut facere aut pati contigerat, in commentariolos breviter

ter notata referre ſolebant. Laudabile ſane inſtitutum! quod homines neque ſui neque reipublicæ immemores eſſe ſinit. Hac in parte Archiepiſcopus noſter neque Sibi neque Suis defuit, ſed rerum a Se tum geſtarum, tum gerendarum, capita compendiaria ſubnotavit; Ipſe Sui monitor, forſan et virtutum invitus præco. Ridebunt fortaſſe Aulici recentiores hujuſmodi conſuetudinem obſoletam, quam quidem ipſorum mores non patiuntur. Quotuſquiſque enim eorum diarium hujuſmodi conficere auſit? aut in vitam, tanquam in ſpeculum, inſpiciens, objecta ſibi vitiorum opprobria non pertimeſcat? Opus hoc erat Eo unice dignum, cui cujuſlibet diei rationes ſtabiles et intaminatæ conſtabant; qui priori vita ita frui poterat, ut cum gaudio proſpiceret futuram.

Sæpe mecum una admirari ſoles ſingularem illam indolis lenitatem et moderationem, quæ in moribus, perinde ac ſcriptis, conſpiciebatur. --- At vero id ipſum impenſius admiraberis, cum intellexeris laudem hanc Ipſum Sibi merito ſuo ſingulari peperiſſe. Cum enim a natura indoles Illi eſſet præfervida, et ingenii vivida vis, et acris et juvenilis ardor, et offenſionum ſenſus irritabilis, vir prudens rerumque gnarus et decori conſcius, mutato jam vitæ colore, probe intellexit quam ar-

duum Sibi νεοφυτῳ ὀντι certamen erat ineundum. Itaque miles Christianus Ipse Sibi ultro bellum indixit, affectus refrænavit omnes, et disciplinæ severioris normam Sibi præstituit inviolabilem. Nemo demum, magis sui potens, animo fortius imperavit suo; id agens sedulo ut omni in re το πρεπον tueretur, nec quidquam in Se admitteret viro sapiente bonoque, aut nomine Clerico, indignum. Hanc animi continentiam et fortitudinem vere Christianam jure admiror prædicoque; victoriam, ingenii luxuriantis triumphis omnibus longe potiorem. Profecto causas præjudicare aut in partium alterutrarum favorem propendere, animi est impotentis aut iniqui: at vero omnia examinare et perpendere, et ex utraque parte judicia moderari, Hoc est veræ fortitudinis et prudentiæ, hoc virtutis opus. Vide adeo disciplinæ salubris, quam Ipse Sibi præceperat, fructum; illam nempe, quam admiramur, judicii moderationem. Nihil igitur ab Illo temere aut intemperanter effusum, nihil illiberale dictum factumve; sed omnia ex æquo pensitata, et lenitatis temperamento quodam præmunita et commendata. Non est itaque quod quisquam ingenii hebetioris Illum, et in deliberando tardiorem, arbitretur. Erat profecto Illi in perceptionibus mira celeritas et comprehensio, et acumen vere criticum; non

fasti-

faſtidioſum illud et irritabile, ſed liberale et ingenuum, et candore miro temperatum; ita ut ipſius diſſenſio, aut etiam cenſura, in adverſantium offenſiones invidiamque minus incurreret.

Dicendi genere plerumque utebatur haud quidem contentioſo: ſed diſputanti non deerat ſubtilitas ſcholaſtica; parcius autem eam adhibuit, quum maluerit populariter, potius quam Philoſophice, diſſerere, et omnia non tam ad ingenii ſui oſtentationem, quam ad audientium οἰκοδομὴν, referret.

Ab arrogantia tantum abfuit, ut etiam laudes ſedulo diſſimularet ſuas: adeo non ingenii aut eruditionis famam affectans, aut ſuperbiam ſumens quæſitam meritis, ut ultro detrectaret; de dignitate deſcendens ſua, et popularibus faſtidiis, potius quam invidiæ, Se ſubmitteret.

Munificentiam quoque ſuam, qua potuit, diſſimulavit; non magna loqui voluit, ſed facere; prodeſſe maluit, quam conſpici.

Ut tacito lapſu nocturni guttula roris
Recreat effœti morituram graminis herbam,

Illius beneficentia clanculum, et quaſi cœlitus delapſa, hominum neceſſitatibus ſe inſinuavit, ſine teſte, ſine præconio, faſtuque omni Phariſaico. ὁ Πατὴρ ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ ἀποδώσει ἐν τῷ φανερῷ.

Quin vide porro in ipſo collocationis delectu modoque non tantum bonitatis ſed et miram providentiæ laudem: nihil ab Eo inconſiderate pro libidine aut faſtidio, ſed omnia in uſus honeſtos, ἀπλοϊκῶς, et cum conſilio maturoque animi deliberantis judicio, conſtituta. --- Cum itaque Bibliothecæ Lambethanæ, quam in omni genere inſtructiſſimam eſſe oportuit, inopiam perſpiceret, inde adeo quod fere per centum retro annos vix ulla acceſſerat locupletatio, et proinde librorum recentiorum penuria eſſet, et in ſcriniis hiatus plane indecorus; hæc Ille vidit eo animo, ut, qua poſſet, omni ope defectus hoſce ſuppleret. Quamobrem librariæ ſupellectilis non modo domeſticæ, ſed etiam exteris in regionibus, ſumptu curaque non levi conquiſitæ, quicquid erat rarius aut pretioſius congeſtum huc tranſtulit, κτημα ες αει, perenne monumentum tum honori ſuo, tum poſterorum uſibus, conſecratum.

Quocunque te converteris, jure admiraberis magnitudinem illam animi univerſa fere cogitatione et benevolentia complectentis, omnique in re bono conſulentis publico.

Huc ſtudia ſua contulit omnia: in hoc curriculo laudis uſque verſatus, rempublicam tum Literariam tum Eccleſiaſticam, in utraque princeps vir, promovit, auxit, ornavit, conſilio, patrocinio, exemplo. --- Cum itaque pro ſolertia rerum-

rerumque uſu diuturno penitus perſpiceret quid potiſſimum in omni parte deſideraretur, pro auctoritate curavit, ne qua in re idonea præſidia aut ſubſidia deeſſent: profecto omnia circumſpiciens præcavenſque fideliter Eccleſiæ rebus invigilabat, haud inani titulo Metropolitanus. Proinde ſi forte aut Pontificiorum calumniæ, aut Schiſmaticorum aut rebus novis ſtudentium obtrectationes, in vulgus paſſim jactarentur, non Sibi Suiſque defuit, ſed propugnatorem Se objecit, ſuiſque auſpiciis et ſub ſignis ſuis militantium ope vicaria uſus, Eccleſiæ Anglicanæ Politiam temperate ſimul et ſtrenue vindicabat: ita ut Illi immota conſtarent ſtabilitatis ſuæ fundamenta, neque interim Laicis invidiam provocarent dignitatis ornamenta. Literatus Ipſe, et Literatorum Fautor, conſilio ſimul et exemplo ingenia excitavit, munificentia fovit; conſulens non modo ne quid detrimenti caperet reſpublica literaria, ſed ut cum incolumitate aliquod etiam famæ et dignitatis lumen accederet. Denique in quantum illius valebat gratia et auctoritas, vidimus Illum inter Literatos ſtudiorum ducem eundem ἐργοδιώκτην καὶ μισθοδότην.

Quid interim in Academia? cujus res communi quodam cognationis vinculo cum Eccleſiæ rebus conjunctæ videntur. Nihil certe horum a Se prorſus alienum putavit; ſed in quantum

tum intelligi poteſt animus Partium nullarum ſtudio addictus, ſed commodi publici unice ſtudioſus, in tantum laudabitur illius benevolentia, quæ in univerſum ſe effudit, præſens omnes conſilio, quoſdam etiam munificentia, adjuvare; id ipſum denique, quod Academiæ eſt vitale, curans promovenſque, Literarum nempe, et Religionis, Morumque bonorum, culturam. Hanc diſciplinam qui tuetur inviolatam atque florentem, Illum ego non modo nomine tenus, ſed re ipſa, Fautorem veſtrum atque Patronum cenſeo. --- Ecquem igitur (libet enim, quoniam in hanc materiam incidi, id quod ſentio eloqui) ecquem, inquam, Academici adſciſcere potuerant Patronum illo homine potiorem? --- qui, Eccleſiaſticorum princeps, res Eccleſiaſticas tanta cum laude adminiſtravit, idem in Republica Literaria vir princeps, literas atque literatos coluit uſque fovitque, atque etiam exemplo honeſtavit; cujus et fortuna et auctoritas id habuit, ut poſſet, benigna autem indoles ut vellet, utilitatibus publicis omni in cauſa inſervire.

Αλλα τιη τοι ταυτα ματην ανεμωλια βαζω;

Quid porro in re Theologica, cujus diſciplinam omnem Ille animo perceptam penitiſſime intellexit? Nullamne illius curam geſſit? imo vero et maximam: mea quidem ſententia, id

curavit

curavit ſedulo, eo ipſo, quod, pro ea qua apud Regem valebat gratia, in Cathedra Profeſſoria Oxonienſi præſidere curavit Virum, de quo quid ſentiam, ad te ſcribens, parcius mihi dicendum eſſe video; ſed, quod res ipſa loquitur, nefas fuerit diſſimulare: Virum certe laboris patientem, Tutorem emeritum, longoque rerum uſu atque exercitatione διδακτικον, ita animatum, ut, quæ in inſtitutionibus Academicis ad officium Paſtorale ſpectantia deſiderabantur, ſupplere vellet, non nomine modo Profeſſor, ſed re ipſa Theologiæ Præceptor. Hunc Virum Archipræſul providus conſiliis et hortationibus excitatum, nec quidem invitum, perpulit, ut opus ab Academicis diu deſideratum (quod Ego[a] jam antea ſpe frigida ſterilique voto conceperam) ultro aggredi vellet. Is adeo præceptionum Theologicarum ſeriem ordinatam inſtituit, non ſermone aut more Scholaſtico ad eruditionis reconditæ oſtentationem, ſed vernaculo, et populari, et Catechetico, ad Juventutis Academicæ captum uſuſque accommodatam. Materiem Theologicam univerſam εν συνοψι deſcriptam exhibuit; ſupellectilem omnem ſeriatim explicavit; οικοδεσποτης εκβαλλων εκ των θησαυρων τα καινα και τα παλαια· porro componendi, diſponendi, proponendi, exponendi, artificium, diverſi generis inſtru-

[a] Vide Append. ad Samuel.

menta

menta uſuſque commonſtravit; id agens ut Theologus ille futurus non rudis prorſus et imperitus Roſtra invaderet, ſed prævia hac diſciplina imbutus atque formatus, uti miles armorum uſu et præluſione quadam exercitatus, e caſtris in aciem paratior et melioribus auſpiciis prodiret.

En id ipſum, quod in diſciplinæ Academicæ curriculo deſiderabatur maxime! Theologorum gentem futuram condere, Hic labor, hoc opus!

Quamobrem ab Academicis gratiæ debentur maximæ tum Illi, qui auctor conſilium hoc dedit, tum Illi, qui ultro præſtitit obſequium, præclara et aggreſſus et conſecutus.

Quin et Hominis magnanimitatem laudo, qui, Deriſorum faſtidia non veritus, diſcipulorum inter cathedras, veluti priſtino iterum ludo, includi Se pateretur: laudo etiam abſtinentiam artificis, qui Reipublicæ operam locat non venalem, ſed ſine dote, ſine mercede, gratuitam, merceſque ſuas pretioſas diſcipulis ſine pretio proponit; inſigni hoc documento clare ſignificans Se commoda publica privatis ſuis rationibus quibuſcunque anteponere.

Euge, mi homo! (videor enim Profeſſorem ipſum jam alloqui) Euge, inquam, perge quo cœpiſti pede; ſcientiæ theſauros accumulare, accumulatos communicare velle, ſit iſthoc

hoc ambitionis tuæ crimen invidendum: pro mercede interim erit tacita bonorum omnium approbatio et recte factorum conſcientia.

Videre jam videor Præſulem hunc noſtrum in Cathedra ſua Cantuarienſi, velut in ſpecula ſublimi, tranquilla quadam ſolicitudine de ſumma rerum conſulentem; ſingula circumſpicientem, explorantem, dirigentem. Jure mireris hac in parte Hominis providentiam et perſpicacitatem, ad remotiſſima quæque pervadentem; induſtriam in inveſtigando acrem atque indefeſſam; in cognoſcendo ſolertiam; in ignoſcendo benignitatem; in toto demum adminiſtrationum decurſu Pietatis ſimul et Prudentiæ laudem ſingularem.

Quam antea in Oxonienſi inſtiterat, eandem jam in Diœceſi Cantuarienſi ſua ingrediebatur viam; dignatus pro more priſtino Synodos celebrare; regionem non itineribus modo, ſed etiam internuntiis, peragrare; et, quæcunque ad rem Clericam pertinebant, animadvertere, aut ſciſcitationibus exquirere; miniſterio uſus tum ſuo tum alieno; atque adeo curavit abſens, præſens ut eſſet, ſingula paſſim exquireret, notaret, et tanquam in Faſtos redigeret: ita Illi ex hac diſquiſitione notitiæ Parœcialis Syſtema conficiebatur pleniſſimum; et ex hoc Hiſtoria quædam Provincialis, cu-

jus in Succeſſorum manus ut theſauri deſideratiſſimi aliquando hæreditas erat derivanda.

Quid vero dicam de illa, quæ latiſſime patebat, rerum Americanarum cura? Hac profecto in parte video Illum ſedulo elaborâſſe, neque quidquam fuiſſe prætermiſſum quod ad Religionem Chriſtianam tum propagandam tum promovendam aliquid momenti conferret. Teſtor indefeſſam ejus in [a] Hetæriarum, quibus præſidebat, officiis defungendis ſedulitatem: Teſtor acrem illius ſolertiam, ne quid detrimenti caperet ſincera Pietas, ſive ex Atheorum aſſultibus, ſive ex Pontificiorum fraudibus, aut ex Fanaticorum deliramentis: Teſtor porro ſolicitam ejus curam de idoneis verbi divini Miniſtris providendis, vigilemque ab Eo habitam de illorum vita, moribus, et diligentia, diſquiſitionem.

Intellexerat Vir ſagaciſſimus, Literarum monimentis edoctus, Epiſcopale Eccleſiarum regimen ab ipſis Chriſtianiſmi primordiis originem duxiſſe, Apoſtolicaque auctoritate fuiſſe comprobatum. Senſit illud cognatione quadam connexum eſſe cum Monarchia. Cum itaque ii inter Americanos, qui Fidem et Diſciplinam Eccleſiæ Anglicanæ eſſent amplexi, beneficia Epiſcopalium adminiſtrationum propius ad ſe, et intra domeſticos Provinciarum

a Soc. de Propagand. Relig. — et Soc. de Promovend. Relig.

ſuarum

ſuarum limites, admoveri cuperent; quid mirum Archipræſulem noſtrum tam piis deſideriis annuiſſe? Ne qua interim Tyrannidis, neſcio cujus Papiſticæ, affectatæ ſuſpicio Diſſentientium tumultus excitaret, illud caverat, ut Politia hæc Eccleſiaſtica deſiderantibus et volentibus indulgeretur, non autem aliis invitis obtruderetur; utque poteſtas Epiſcopalis, intra fines adminiſtrationis mere Eccleſiaſticæ incluſa et conſtricta, nullum invidiæ aut offenſioni etiam apud iniquos et malevolos locum relinqueret. Hoccine itaque memorabile eſt aut credibile, contra hoc conſilium tam lene, tam moderatum, tam utile, tantos invidiæ et contumeliarum fluctus potuiſſe concitari? Fremunt tamen illico et tumultuantur Diſſentientium greges quidam irritabiles et pervicaces; iidem in Republica Cives ſeditioſi, in Eccleſia Principatum adepti, Tyranni intolerabiles. Iniqui homines et maligni! qui Libertatis, quam ipſi ſibi arrogant, effrænatum jus aliis a ſe diſſidentibus concedi nolunt!

Vana ſcilicet opinione conceperant Diſſentientes *Seckerum*, qui manſuetudinis et lenitatis partes tuebatur, qui Tolerationis jura iis conceſſa ſacra eſſe et inviolata ſemper contendiſſet, aliquando olim ſtabilitæ Eccleſiæ Anglicanæ Privilegia et Auctoritatem ipſis ultro

proditurum fore, nec veniam ipſorum erroribus, ſed laudem et præmia, ultro conceſſurum. Quid mirum homines pervicaces falſa ſpe deceptos ad convicia et ad ſpecioſarum criminationum terriculamenta in vulgus jactanda ſe convertiſſe? Neque tamen Sibi Ipſi, aut Eccleſiæ Anglicanæ dignitati, defuit Archiepiſcopus.[a] Vide adeo certamen impar plane et iniquum, temeritatis cum prudentia, furoris et pervicaciæ cum moderatione et æquitate, malignitatis Puritanicæ cum charitate Chriſtiana! Sit illud aliis opprobrio, conſilium tam ſalutare fuiſſe fruſtra commendatum: Archipræſul noſter certe conſcientiæ ſuæ teſtimonium pulcherrimum reliquit, ſimul et ſuæ erga Eccleſiam atque Americanos benevolentiæ pignus pretioſum; laudabilis Fautor inſtituti, atque illius adjutor atque auctor munificentiæ,[b] quæ olim in Hierarchiæ uſus eroganda aliquando etiam invitis profuerit.

Age vero, jam mecum redi ad Lambetham, virtutumque domeſticarum admirationem.

Χαιρ' ω μελαθρον οικιας Φιλοξενε.

Ingredior --- quam reverenter, tanquam in Templum! quam vero familiariter, tanquam in domum meam! --- Mire animum commo-

a Reſponſ. ad D. Mayhew.

b Legavit 1000 *l.* in hunc uſum Epiſcop. conſtituend.

vet

vet ipſe loci conſpectus: occurrunt antiquæ laudis et artis monimenta --- ſpatiorum tum vaſtitas, tum magnificentia --- liminis tum ſolitudo, tum etiam frequentia --- otii et negotiorum juſta per intervalla viciſſitudo --- idem de die in diem officiorum ordo revolubilis --- ea demum omni in parte εὐταξία καὶ εὐκοσμία, ut intra Collegii, potius quam Domus privatæ, parietes verſari videar. Et profecto quocunque paſſim oculos et cogitationes converto,

Multa Viri virtus animo multæque recurſat
Laudis honos.

Subit imprimis illa, quæ Virum principem maxime decebat, in conſiliis omnibus Gravitas et Conſtantia, et mitis quædam Sapientia, Judiciorum temperans ſeveritatem --- illa in Suos lenitas plane paterna --- illa porro in Colloquiis, in Conviviis, in Congreſſibus quibuſcunque, Urbanitatis, Liberalitatis, et Benevolentiæ, gratia ſingularis --- illa ſine levitate Hilaritas tranquilla --- ſine faſtu Severitas reverenda --- et quodcunque demum Patrifamilias, aut propter bene merita, amorem, aut propter dignitatem, reverentiam, conciliare potuerit. --- Quanquam quid iſta domeſtica commemoro, quorum recordatio ipſa cum deſideriis una renovat dolores?

At

At vero ipſe mei prorſus immemor, et certe inſignis beneficii immemor, arguerer, ſi non illam in Republica Literaria Judicis atque Cenſoris, quam mihi ſæpe plurimum profuiſſe ſentio, laudem recognoſcerem prædicaremque: non enim ignoras me ſcripta mea fere omnia, illa præcipue quæ in lucem publicam erant producenda, Illius judicio ſive approbanda ſive caſtiganda permiſiſſe; quæ quidem Ille dignabatur recenſere, examinare, corrigere, pro conſueta Humanitate ſua benigne, pro Amicitia libere, pro Jure Critico acriter, et κατ' ακριβειαν. Si quid adeo occurreret in dictione acrius aut ardentius, ſiquid juveniliter exultans aut alioqui minus accuratum, ſiquid in ſententiis minus explicatum aut definitum, ſiquid εκ περισσιας ϗ απροσδιονυσον --- ſiquid invidiæ et offenſionibus obnoxium---id omne Cenſor ille fidelis tranſverſo calamo notavit, correxit, emendavit, et temperamento quodam adhibito mitigavit et præmunivit; ut in hominum oculos aureſque commendatior acceptiorque prodiret oratio. --- Et profecto in toto Criticorum grege Scriptorum quorumlibet Cenſorem Caſtigatoremque tam idoneum aliunde fruſtra quæſieris; eundem ingenio tam acri et perſpicaci, ut nihil non animadvertere potuerit; indole interim tam liberali et benigna, ut voluerit curas et labores alienos

ultro

ultro ad ſe transferre, aliena curare, emendare, ornare; quod quidem noſter Ille præclare præſtitit, eadem opera et rei Literariæ incremento ſimul et Amicorum famæ proſpiciens. Scias adeo aliorum ſcripta permulta, quæ ad poſteros aliquando devenerint, Archiepiſcopi adjutoris memoriam ſecum una trahere ſuæ comitem laudis.

Jure mireris talis tantique Viri patientiam et ſolertiam in alienis corrigendis limandiſque verſatam. Ego certe hoc nomine me Illi plurimum debere fateor, neque ſatis pro merito prædicare poſſum inſigne illud erga me Benevolentiæ teſtimonium, quæ ſe toties ultro noſtris imiſcuit curis, effecitque ut mea mihi magis placerent. Hoc profiteor de me reipſa ſæpe expertus: et profecto, ſiquidem omnino ulla res aliquem Superbiæ aut Arrogantiæ ſenſum animo meo afflare potuerit, en id ipſum, de quo gloriari libet: nempe me Illo fuiſſe uſum ſtudiorum Duce, Adjutore, Patrono! Quidni ego Terentiana hæc ad me transferam, a re mea certe haud aliena?

Nam quod iſti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adjutare aſſidueque una ſcribere,
Quod illi maledictum vehemens eſſe exiſtimant,

Eam

Eam laudem hic ducit maximam, quum illis placet
Qui vobis univerſis et populo placent.

Itaque opis hujuſce Cenſoriæ, quam Ille ſedulo diſſimulavit, fructum lubens recognoſco: tum in aliis pleriſque, tum præſertim in illa ad Samuelem noſtrum Appendice, de qua Lectorem monitum velim, ut, quæ ibi diſputata repererit ad diſciplinam Academicam et officium Paſtorale ſpectantia, ita intelligat, ut Archiepiſcopi conſilio aliquatenus præſcripta, et judicio comprobata. Atque hæc ideo a me commemorantur, tum ut dictis aliqua Auctoritatis commendatio accedat, tum ut in tranſcurſu ad illam Præceptionum Theologicarum Inſtitutionem recentem digitos intendam, quam video cum Profeſſoris noſtri laudibus eſſe conjunctam.

Sed nec illud prætereundum reor, in quo quidem cernitur vera animi magnitudo, Cleri inferioris, cujus miniſterio ut plurimum res Eccleſiaſtica tranſigitur, curam plane paternam. Ad humiliora hæc deſcendens adeo nihil de dignitate remiſit ſua, ut etiam amplius quiddam laudibus addiderit. Cupiit quidem Ille, quoad temporum iniquitas patiebatur, omnia in ordinem priſtinum revocari: aliquid adeo Sibi hac in parte elaborandum eſſe cenſuit: proinde, ſicut ſupra monuimus, cura-

curavit abſens præſens ut eſſet; vigil e longinquo ſpeculator et explorator adminiſtrationibus fere omnibus interfuit, admonens, increpans, adhortans, remunerans, conſiliis, auctoritate, munificentia: præſens providere ut Paſtores gregibus pabula præberent idonea; infirmos atque pauperes opibus adjuvare, induſtriam reſuſcitare, præmiis accendere, de Eccleſia bene meritos ad altiora promovere; providere demum ne qua in re per Cleri incuriam vel pervicaciam aliquid detrimenti caperet res Eccleſiaſtica, Hæ illi erant imperii artes, hæc ſtudia. Hæc ad extremum uſque animo inſidebat cura. Quali denique affectu omnia pietatis et humanitatis officia coluit et colenda commendavit, cætera ſi defuiſſent argumenta, ſupremæ Tabulæ teſtantur, *et mortuus adhuc loquitur*.

Jure mireris unius animum tot tantiſque laboribus tam longe lateque disjunctis ſuffeciſſe: idem vero ſimul admiraberis ſingularem, quam Ipſe ſibi in adminiſtrationibus omnibus præſtituerat, diſciplinam; quæ effecit ut ſingula prævisa et explorata, et ordine certo diſpoſita, magis in promptu occurrerent, facilius in uſus proprios accommodanda.

Itaque Ille unus in universis tanta cum laude sua et Reipublicæ fructu versabatur. Vide adeo in negotiis transigendis Methodus quantum valeat, atque in eo ipso summam Archiepiscopi prudentiam et solertiam recognosce. Quid multis? in provincia omni quæstor fidelis, in commercio suo Ecclesiastico dispensator providus, ita semper se gessit ὡς ὑπεύθυνον ὀντα, rationis coram Deo et hominibus aliquando reddendæ memorem. Proinde depositum adeo non prodidit, ut usque conservaverit inviolatum: rem fidei commissam adeo non per ignaviam neglexit, aut per luxuriem dissipavit, ut etiam reddiderit auctiorem, ut sine fraude Talentum insuper Talento accumulaverit, a Deo meritorum judice supremo diligentiæ et probitatis testimonium honorificum simul et mercedem amplissimam reportaturus. εὖ ἀγαθὲ δοῦλε πιστὲ, πιστός ἦς ἐπ' ὀλίγα, κατασήσω σε ἐπὶ πολλά· εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ Κυρίου σου.

Profecto indignabundus miraberis virtutum tantarum obtrectatores ullos extitisse. Sed non est dissimulandum in castris nostris Ecclesiasticis, perinde ac militaribus, gregarios quosdam existere, qui, cum militiæ suæ graviora negotia detrectent, per ignaviam vel protervam contra Imperatorem seditionibus grassantur;

tur; in illum unice criminationes omnes rejiciunt, dicta factaque omnia in ſiniſtram partem rapiunt; rati ſcilicet in tantum infamiæ ſuæ excuſationem accedere, quantum de illius virtutibus detraxerint. Iſtiuſmodi hominum offenſiones provocare et contemnere non minima eſt fortitudinis commendatio: ſunt hæc opprobria laudi.

Quid porro? nulloſne egregio hoc in corpore nævos conſpicis, et omnino nihil quod reprehendere poſſis? Immo vero quiddam ſingulare, et forſan id ipſum quod plerique laudant potius et admirantur; nimiam ſcilicet facilitatem illam et επιεικειαν. Equidem in Magiſtratu potius pertinaciam quandam imperii et arrogantiam requiro: et ſane ſic exiſtimo, Siquidem Ille in Republica ſimul et Eccleſia princeps vir, dignitatis ſuæ conſcientia fretus, plus auctoritatis Sibi arrogaſſet, minuſque de jure ſuo temporibus conceſſiſſet, fuiſſe multo melius Bono communi conſultum: Siquidem, inquam, Ille Eccleſiaſticorum Princeps, Bonique adeo ſimul omnes, pro ea qua valent auctoritate et gratia, ſub Regis pientiſſimi auſpiciis, ſeſe palam et aperte Religionis contemptæ et violatæ ſtrenuos vindices et ſatellites objeciſſent, non jam amplius per omnium fere hominum ordines impune graſſaretur illa Impietatis

pietatis Bellua Centiceps, ſed repreſſa ſenſim audacia, impetuque fracto, profligata ſuccumberet. Turpitudinis enim inſitæ Impietas omnis notam gerit impreſſam, et vitiorum conſcientiam neſcio quæ timiditas comes premit, veritatis adverſæ lucem refugiens: quod ipſum arguit illa Simulatio ſive Diſſimulatio prætenſa. Omnes itaque, qui Religioni bene cupiunt, veluti claſſicum canens, hortor, ut animoſius omni ope ſtudioque ingruenti malo oppugnatores ſe objiciant: Hoc ſi eſſet, certe exularet illa Reipublicæ peſtis teterrima, ſua legibus conſtaret auctoritas, pietati honos, ordini Eccleſiaſtico reverentia; neque Americanis forſan deeſſet Hierarchia. Me quidem fateor ſapientiam illam abnormem et obſoletam tueri, quæ unice recta progrediens via deflectere et temporibus ſervire neſcit, atque adeo nihil quod deſiderari ſentio, diſſimulandum puto. Interim animo ancipitem quandam curam injici video, dum aliud fortitudo Chriſtiana ſuadet, aliud prudentia Civilis. Si cui vero minus culpabile videatur illud quod notavi, integra nobis et ſalva res eſt: Sin ſecus, quæ dixi omnia, ita intelligi velim, ut ſiquid minus laudabile videatur, id non hominis conſilio aut voluntati ſed temporum iniquitati aut ne-

neceſſitati cuidam Politicæ tribuatur. — Hæc autem εν τη παροδῳ.

Sentio equidem hac in cauſa dicenti copiam non deeſſe, ſed modum potius in dicendo teneri oportere. Sed antequam manum de tabula penitus ſubtraham, ſingulare quiddam occurrere ſentio, neque temere prætereundum neque commemorandum; nempe frequens illud officiorum, tum Sacerdotalium tum Archiepiſcopalium, cum Majeſtate Regia commercium. Vide quam multæ res eæque momenti graviſſimi, genere, loco, temporibuſque disjunctæ in unum quaſi coierint, unius et ejuſdem hominis auſpiciis et miniſterio tranſigendæ: ita providente Deo, ut, quæ GEORGIUM Infantem per lavacrum regenerationis Chriſto conſecraverat, [a] eadem manus Regem jam inauguratum diademate cæteriſque regiis inſignibus ornatum Eccleſiæ et Reipublicæ Bono [b] conſecraret, --- utque eadem porro Conjugii fœdere inviolabili conjunctum CHARLOTTÆ ſuæ [c] dedicaret, ſobolemque deinceps regiam regeſque futuros [d] baptiſmate Deo ſimiliter conſecraret! En adminiſtrationum, qualem anteceſſorum nulli hactenus unquam contigiſſe novimus, honorem plane invidendum! En

a A. D. 1738. b 1761. c 1761. d 1762.

ſimul

simul felicitatis tum Domesticæ, tum Publicæ, in hoc uno capite historiam compendiariam!

Jam tandem videor una cum Illo in curriculi quasi extrema spatia devenire. En spectaculum Deo dignum! virum bonum cum doloribus fortiter conflictantem, et de fati terroribus triumphantem, in vitæ exitu perinde ac decursu admirabilem! Videor assidere, alloqui, philosophari, Christianæ fortitudinis et patientiæ documenta haurire: cerno circumstantium sedulitatem officiosam aut sollicitudinem taciturnam, Illarum præcipue, quas ille semper merito charissimas habuit,

Αι μεν ετι ζωον γοον Εκτορα ω ενι οικω.

Cerno demum omnia trepidatione et mœrore concussa, præter ipsius animum: Illum vero in his rerum asperitatibus ad extremum usque, inter corporis exesi cruciatus acerbissimos, tranquillum et sibi constantem. — O crudelia Amicorum vota, quæ vitæ, non jam vitalis, diuturnitatem pollicebantur! Illi profecto, qui satis Naturæ, satis etiam Gloriæ, vixerat, nihil fere ad felicitatis cumulum desiderabatur præter ευθανασιαν: Hanc rite comprecati non tam querimur ereptam illi vitam, quam immortalitatem donatam gratulamur.

Vereor

Vereor ſane ne, ſi quæ ανθρωποπαθως ſentio ſingula commemorem, in mollitiem plane muliebrem defluereat oratio. Itaque miſſa faciens hæc domeſtica et quidem leviora, ad ea potius, quæ ad rem communem pertinent, tranſeo; et tanquam publica voce gratulationem hanc juſtiſſimam recognoſco prædicoque, nempe in Republica et Eccleſia talem tantumque virum aliquando extitiſſe, utriuſque ſingulare decus et præſidium.

Equidem de me cogitans, quoties recolo fuiſſe me Amicorum et quoque familiarium ejus numero adſcriptum, toties id ipſum video, quod mihi ſummo et honori fuerat et felicitati. Et hunc ſaltem longævitatis meæ fructum cepi, quod ſuperſtes adhuc et incolumis jam quaſi in funere ad tumulum Laudator prodeam, idem ego qui adfuerim in longo vitæ decurſu per tot annos virtutum teſtis et admirator: atque adeo hoc nomine λογων επιταφιων editori me trado, inter ſcriptores ſuos corrigendum atque emendandum.

Poſtremo Reipublicæ cauſa cupio, ut vigeat uſque et celebretur honorata exempli tam laudabilis memoria, poſteris etiam profutura. Ego quidem hac in cauſa, quod potui, ſedulo effeci; atque adeo hoc tum privatæ pietatis et amicitiæ, tum etiam publicæ venerationis

et

et obſervantiæ, teſtimonium libenter conſignavi. Quod ſupereſt, veniam dabis ambitioni meæ (vanæ forſan, certe non inhoneſtæ) quæ nihil majus potiuſve petit, quam ut in laudum tantarum comitatu hæc amicitiæ noſtræ recordatio conſervetur; utque monumentum hoc qualecunque, quod Archiepiſcopi Cantuarienſis honori conſecratum vides, ſibi una inſcriptum gerat nomen,

JOHANNIS BURTON.

Errata Typogr.

P. 12. l. 21. *lege* Diœceſes.
P. 14. l. 2. *lege* Diœceſin.
P. 27. l. 21. *pro* arrogant, effrœnatum *lege* arrogant effrœnatam.